1070. L. 12
3

IN
OBITVM
# IACOBI
# PACIFICI,
## MAGNÆ BRITANNIÆ,
## FRANCIÆ, & HYBERNIÆ
*REGIS.*
Fideiqúe Defensoris
# ELEGIA.

*Autore* ARTVRO IONSTONO
*Medico Regio.*

LONDINI
*Impensis* Nath: Butter. 1625.

ET DOCTRINA

IACOBI

# Ad nobiliſsimum & clariſsimum virum Dn. *Georgium Hayum* Scotiæ Cancellarium *Epigramma.*

*HAYE, Caledonii moderator juris & æqui,*
*Quod damus hîc Regi flebile carmen habe.*
*Hæc domino & patriæ debebam juſta parenti,*
*Hæc eadem duplici nunc tibi jure ſacro.*
*Hunc tu ſupra omnes coluiſti, maxime Prætor;*
*Te quoque ſupra omnes noſtra Camæna colit.*

# ELEGIA.

ERgo jaces? Nec te pietas tua, maximè regum,
Nec populi, aut procerum sustinuere preces?
Nil non posse Deos fateor; nec, machina cæli
Si ruat, in litem Numina sancta traham.
Flere tamen fas est: non me Magnesia rupes
Protulit, Hyrcanæ nec genuere Tygres.
Nec si rupe forem, Sythicâ vel tygride natus,
Hoc puto me siccis cernere posse genis.
Hei mihi, pro domino, domini nunc cernimus urnam;
Quemq; patrem patriæ diximus, umbra mera est.
Nec tamen hoc querimur: lethi rapit impetus omnes;
Omnibus est Stygii cymba premenda senis.
Tempora deflemus, properataq; funera Regis:
Non ita maturè debuit ille mori.
Ante domandus erat, toties qui luserat, hostis;
Ante levanda suo colla Bohema iugo.
Nataq; cum genero, parvisq; nepotibus exul
Ante suis laribus restituenda fuit.
Mens erat hæc illi, morbiq; oblitus & ævi,
Expectata diu sumpserat arma senex.
Sed dum bella parans, acies terraque, mariq;
Instruit, heu. tristi funere mersus obit.
Artibus illustrem pacis se fecerat orbi
Ingenio Princeps, consilioq; potens.

# Elegia 2.

Armorum Bellona decus transcriberemato
Maluit & juveni credere Martis opus.
Gloria sed nati, fas sit mihi vera fateri,
Non minor, incolumi patre, futura fuit.
Quis pudor auspiciis natum pugnare paternis?
Primaq; consilio bella mouere senis?
Dicitur Æacides Atridæ signa secutus,
Hector & imperio sub patris arma tulit.
Nil tamen Æacidæ titulis detraxit Atrides,
Nec pater Hectorei nominis umbra fuit.
Hoc duce debebas ordiri, Carole, bellum,
Qui Phryge, qui Graio principe maior erat.
Sed quid ago? surdis cantatur næniа; clausit
Ille diem, nullâ nunc revocandus ope.
Ante cadens, memini, geminus Lenoxius, ante
Raptus Hamiltonius tristia signa dedit.
Tum caput inclinat moriens, & concidit arbos,
Brachia cum lævo sidere tacta cadunt.
Hæc erat, heu, duræ clades prænuncia mortis:
Nec minor interitum noxa secuta fuit.
Imbribus assiduis, ter denis lucibus, æther
Luxit, & effusis omnia mersit aquis.
Squallebant sine Sole dies, sine sidere noctes,
Nec fratris potuit Cynthia luce frui.
Fluctibus insolitis tumuit Bodotria, primos
Rex ubi vagitus, ore recente, dedit.
Efferus & mixtus sævis aquilonibus Eurus
Deucalionæas penè reduxit aquas,
Cum populis periere domus, segetesq;, gregesq;,
Rara ratis, statio nulla relicta rati est.
Vidimus ingentes operas, munimina prisci
Littoris, æque suis eruta saxa locis.

Innumeras olim sensisti Scotia clades
Dumnáque; par isti nulla ruina fuit.
Prô Superi! Si Regis erat mors certa, senectæ
Debebat reliquos evoluisse dies.
In caput hoc olim frustra manus impia sicas
Strinxit, Avernales supposuitq́; faces.
Quæq́; tot extinxit reges, urbs dira Quirini
Sæpe necem puero, sæpe minata viro est.
Hei mihi, quod toties frustra tentavit Erinnys,
Ante diem, Parcâ cur iugulante, cadit?
Certa deæ, fateor, sed cæca est dextera; nescit
Quem feriat, nec quos ista ruina premat.
Occidit hic, Patriæ sceptrum qui gesserat infans,
Bis tribus & centum regibus ortus auis.
Qui tot Olympiadas sceptrum libravit avitum,
Cynthius auratis quot terit astra rotis.
Qui populi vultusq́; sui, geniumq́;, genusq́;
Noverat, & mores, factaq́; prisca patrum.
Candida cui semper vultu Fortuna sereno
Risit, & aspectu favit ubique suo.
Cui dedit ingenium Pallas, quo sæpe rebelles
Fregit, & hostiles trivit inermis opes.
Nec minùs ingenio valuit cultura magistri,
A quo victurum Scotia nomen habet.
Ille animum gazis auxit regalibus, ille
Regia Cecropiis imbuit ora fauis.
Occidit, heu, recti custos, qui lancibus æquis
Iura dedit regnis non violanda tribus.
Cædibus assuetos populos, & sæva minantes
Hic docuit legum vincula posse pati.
Vnius ad nutum bellis Europa tot annis
Abstinuit, mores deposuitq́; feros.

Pace foris ruptâ, totusq́; tumultibus orbis
Cum fureret, pacem præstitit ille suis.
Securum sine classe fretum, sine mœnibus vrbes,
Securus nudo sub Ioue somnus erat.
Non metus hostilis, non à prædone periclum
Agricolam patriis excutiebat agris.
Nulla viatori tellus fuit invia, tutus
Vel mediâ poteras carpere nocte viam.
Cernere erat sine lege pecus, passimq́; vagari
Incustoditos læta per arva boves.
Servabant iunceta gregem, dum fallit amicæ
Tityrus amplexu, carminibusq́; diem.
Dives eques cum plebe fuit: Rex omnia donans,
Se præter, nullas ipse coegit opes.
Quod docuit Lucina parens, servavit; aperta
Nata fuit, mansit semper aperta manus.
Contemptum superabat opum clementia summa,
Arte carens, nullo nata vel aucta metu.
Ira brevis semper; vindictæ nulla cupido
Detinuit; nunquam sævus in hoste fuit.
Nec nisi casta Venus placuit; de virgine raptâ,
De læsa potuit coniuge nemo queri.
Otia, curarum si quæ dabat otia moles,
Fallebat studiis sacra Diana tuis.
Nunc cane, nunc iaculo gaudebat perdere cervos,
Nunc leporum cursus lata per arva sequi.
Sæpe levem medio captabat in aëre prædam,
Lætus, & hoc solo sanguine tinxit humum.
Nocte redux, somno non indulgebat inerti
Nec dabat ignavo languida membra thoro.
Pallada, secessum quærens, Musasq́; colebat:
Et sensit faciles in sua vota Deas.

Hac ope Ieſſæi captus modulamine vatis,
Intulit Hebrææ plectra Britanna lyræ.
Hac ope, quo teneros nati pater imbuit annos,
Protulit invidiæ ſtigmate majus opus.
Cætera quid memorem ſancti monimenta laboris?
Publica ſunt, & cum Brittone Roma legit.
His addi meruit pietas, &, rara potentum
Gloria, defenſæ relligionis honos.
Hanc puer amplexus feros ſervavit in annos:
Hæc expiranti cura ſuprema fuit.
Nil ſecum mortale agitans tum corpus anhelum
Erigit, & peragi myſtica ſacra iubet.
Paruit imperio myſtes, quo ſanctius orbis
Nil habet, &, multâ cum prece, farre litat.
Ipſe palàm ſacrâ Princeps dape paſtus, ad aſtra
Suſtulit inſontes & ſine labe manus.
Quique regis cælum, cælo me ſuſcipe, dixit,
Alme parens, animæ portus & aura meæ.
Corporis exuvias terræ, tibi regna relinquo,
Carole, cum regnis ſacra paterna cape.
Hæc cole, nec Latiis præbe Sirenibus aures,
Impia quæ dulci toxica melle tegunt.
Dixit, & hoc ipſum, voces cùm lingua negaret,
Sæpe oculi, fertur ſæpe locuta manus.
Qui modò devotus regemque, patremq; colebas
Carole, fac regis, fac rata vota patris.
Hæc rata ſi dederis, cælo aſpirante, timenda
Sunt tibi nulla foris, nulla pericla domi.
Sæva feros nunquam populos armabit Ierne,
Nec qui Tironi ſigna ſequatur erit.
Nec tua civiles renovabit Scotia motus,
Nec cum vicinâ prælia gente feret.

## Elegia.

Nemora per alterius flammâ grassabimur agros,
Nec latrocinijs obvia quaeque metet.
Nec, quod erat commune nefas, per templa videbis,
Luctaq; per medium tela volare forum.
Cuncta regent iunctis Themis & pax aurea dextris,
Qui status, imperium patre tenente, fuit.
Et tibi quae vitae dispensent fila sorores
Deducent longos, & sine nube dies.
Denique, magna Deûm soboles, te rege, parentem
Desinet ereptum terra Britanna queri.

---

### *Epigramma.*

*Martius extinxit Regem, dat funera Maia*
*Mensis, & est sceleris factus uterque reus.*
*An quia caelitibus Martis cum Cypride furta*
*Nudasti, proles nunc tua, Phœbe, luit?*
*An quia pacificis Mars implacabilis hostis*
*Semper erat, castis semper iniqua Venus?*

### Aliud.

*Nil Iove, nil Phœbo melius; lux utraq; terris,*
*Vtraq; lux regnis semper amica fuit:*
*Te tamen invidit mundo lux utraque, Princeps;*
*Luce cadis Solis, lux Iovis abdet humo.*
*Res nova, nec saeclis audita prioribus; orba*
*Naturæ, Princeps, te pereunte, perit.*

*Virtus nos ornat.*



[redacted]

Magdalene Cambridge
1070. b. 12
4

# Cantabrigiensium Dolor. & Solamen:

SEV

DECESSIO BEATISSIMI REGIS

JACOBI

Pacifici:

ET

SVCCESSIO AVGVSTISSIMI REGIS

CAROLI:

Magnæ Britanniæ, Galliæ, & Hiberniæ Monarchæ.

Excudebat CANTRELLVS LEGGE, Almæ Matris Cantabrigiæ Typographus.
MDCXXV.